

generari neque aptum, neque vtile corpori. Tot igitur sunt causæ & longitudinis, & malitiæ morbi, quibus postea si accesserit mala viuendi ratio, & medicorum importuna & malè intellecta curatio, tunc nihil deerit ad perniciè illustrissimi Comitatus perficiendâ. Primò igitur pro scopo curadi illud est proponendum, ne aliquis medicus audeat totis viribus, vel magno aliquo impetu ad morbum tollendum proficisci, siue purgando, siue alterando, vel corroborando processerit. Cùm enim purgationes fiant per attractionem humorum à tota corporis circumferentia, per hepar ad ventriculum, venenosa virtute pharmaci violèter attrahente: necessarium est vt ab huiusmodi purgatione tam ventriculus quàm hepar mirum in modum debilitentur, exiccantur, proprioque ac naturali calore destituantur, ac consequenter ad omnem perniciem præparentur. De alteratione verò & corroboratione quid dicere oportet? Quomodo enim vel ventriculum, quantum oportet, calefaciet medicus, vel refrigerabit hepar, sine alterius maximo detrimento? Ergo primùm prouidere debemus vt placidè moderateque omnia pertractentur, & siue purgatione, siue alteratione indigeat, (vtrouque enim indigebit) tam hæc quàm illa cautissimè fiat, quodque vno impetu confertim fieri non potest, longo tempore paulatim efficiatur: atque hæc videtur esse tota ratio curationis in illustrissimo Comite, à qua si tantillum discesserit, præterquam quòd frustrà laborabit, maximis etiã periculis se exponet. Exordièdo igitur curatione magis particularè dicimus illustrissimam dominationem suam potissimam spem in rectissima viuendi ratione constituere debere: ac primò omni diligentia procurare debet, vt ab omnibus animi molestiis prorsus liberetur, fugiat præcipuè aulica negocia, in quibus nunquam ab ambitione, ab æmulatione, ab ira, à suspitione & odio poterit separari: hæc enim omnia ita aulæ & regis domibus sunt annexa, vt nullo vnquam tempore, neque segregari potuerint, neque poterunt. Quandiu igitur in negotiis aulicis implicabitur, tandiu morborum suorum causam præcipuè fouebit. Ergo si sanitatem procurat, ad animi quietem, & ad tranquillitatem confugiat, propriisque fortunis amplis & honestis contentus sit, eligatque habitationem optimi aeris, & iucundam: opportunisque & commodis venationibus corpus exerceat, atque in aliis honestis voluptatibus occupetur, cum iucundis amicis versando, ludendo, & confabulando, de nullaque alia re minus, quàm de sua egritudine sit sollicitus, tantum se custodiat, & muniat, in reliquis morbum contemnat. Cauebit tam à frigore intèso, quàm à calore: vnde & ventos omnes euitabit, niuesque horridas, & pluias, sed aeri tranquillo se semper exponat: & si quandoque aliquo urgente negocio cogetur in aerem intemperatum accedere, muniat se opportunè his, quæ illi temperaturæ aduersari possunt. A Venere non omnino vellem vt abstineret, imò (quemadmodum ego opinor) moderata Venus illi nõ mediocriter conferet, si modò commodè, & suis tēporibus illa vtatur. Tēpus opportunum tam Veneris, quàm exercitij est, cùm ven-

*Terebinthina*  
**A**trichulus sit à cibo vacuus: facta enim concoctione prima, tam ad Venerem, quàm ad exercitium accedere oportet. Procuret præ ceteris omnibus vt quotidie habeat alui beneficium: & ad hunc vsum summoperè laudo illud etiã quod prius admonui, vt habeat familiarem terebinthinam Cypriam, quã deglutiat ad quantitatem nucis paruarum, quã deglutiat ad quantitatem nucis paruarum, tribus horis ante prandium, semel aut bis aut ter in singulis septimanis, prout expedire videbitur. Nam præterquam quòd aluum mollem efficiat, **B**ventriculum etiam purgat, obstructions aperit, vrinam prouocat, calefacit ventriculum, neque propterea hepar lædit, imò & illi mirum in modum confert, aperiendo, abstergendo, & mundificando. Quantum verò ad cibum & potum attinet: primò euitabit tanquam pestem multitudinem cibariorum, sed vnico tantum cibo contentus erit, neque illo copioso, sed semper citra fatigatatem à mensa recedet. Erunt cibi laudabiles, à quibus nunquam discedet, caro pullorum, hædorum, vitulorum lactantium, phasianorum, perdicum, & auium campestrium pinguium, præter coturnices, quas vulgò qualias vocant: vtetur ouis sordilibus & recentibus. Abstinebit ab omnibus carnibus antiquis, ab auibus palustribus, à carne porcina, à piscibus, à leguminibus, ab oleribus, à fructibus, à caseo, & ab omnibus lacticiis, ab vsu aromaticum, à rebus frictis in sartagine. Vinum eligat album, clarum, pellucidum, bene maturum, mediocriter potens (vina enim potentia sunt illi maximè infesta) quod etiam vinum moderatè bibet, in prandio tantum & cœna: & omnino computationes effugiet. Hæc est victus ratio à S.D. diligentissimè seruanda, in qua ferè tota curationis spes statuenda est. Quantum verò ad medicamenta, in illis ero admodum parcus: laudarem tamen vt bis singulis annis moderatè se purgaret, Vere inquam & Autumno. Effet purgatio huiusmodi:

R. Specierum hieræ simpl. ʒ. ij.

Floris casisæ ʒ. x.

Cum saccharo fiat bolus, sumendus hora ante prandium. Deinde

R. Syrupi de cichoria Nicoli sine rhabar.

Mellis rosati ana ʒ. j. Aquæ absint. ʒ. iij.

Misce pro vno, & sic pro septem. Deinde

R. Rhabarbari electi ʒ. ij.

Spicæ gr. x.

Irrorentur vino albo aromatico, deinde infundantur in aqua endiuæ per horas decem. Postea

R. Syrupi rosati solutiui ʒ. iij.

Misce, & fiat potio, danda in aurora cum custodia. Hic est modus purgationis, quem tam Vere quàm Autumno poterit obseruare. In spaciis vero intermediis, si quandoque vsus terebinthinæ non sufficiet ad ventriculum idoneè expurgandum, poterit quandoque mandere scrupulos duos rhabarbari electi, & deglutire tribus horis ante prandium. Vtetur etiam frequentissimè ante prandium & cœnâ saccharo rosaceo ad vnciæ quantitatem: est enim & ventriculo, & hepati, & renibus quàm maximè vtile. In extrinsecis autem linimentis parum admodum confido, ideo illa omnia consulo prætermitto. Neque hinc electuariorum & confectio-